



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

Interna diuini auxiliij imploratio. 28

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

MARGARITAE EVANG.

estque vita animæ, sicut anima est vita corporis. Et sicut corpus sine animæ suffragio nullum omnino membrum mouere potest, sic & anima sine Dei adiutorio ad bonum nihil penitus mouere se valet. Sic ergo Deus in omni viuacitate est animæ nostræ, qui tamen in solo spiritu debet adorari. Postremo, vt Deus omnipotens quinque literarum istarum significationem, & prædicationem tres natiuitates in nobis perficere queat, nosque dignissimæ matris Dei exempla sequi, & filij Dei effici possimus, idem ipse nobis prædicandus dignetur, qui in Trinitate personarum vnus vnus in essentia est Deus.

Interna diuini auxiliij imploratio. Cap. XXVIII.

Flecto genua cordis mei & corporis mei ad patrem domini nostri Iesu Christi, a quo omnis paternitas & gratia in cœlo & in terra nominatur, orans ipsum vt det mihi secundum diuitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine meo, Christum per fidem habitare in corde meo, vt in charitate radicatus & fundatus, neque deficiam, neque instabilis fiam in seruitio ipsius. Et vt det mihi sapientiam, quæ me de recta viâ instruat, vt non decipiar, neque seducar per quoscunque errores. Vt denique pietate me repleat, quæ me consoletur & inflammet, ne me vel desperatio, vel torpor aut amaritudo, siue peruersitas vlla superet ad finem vitæ meæ. Insuper oro te o summa potentia, vt per Iesum Christum dilectum filium tuum (in cuius nomine oblatam tibi orationem nullam respis) & per amorem sancti spiritus

LIBER III.

tui, dones mihi memoriam, qua te semper cogi-
tem, intellectu, quo bonitatem tuam & propriam vili-
tatem meam clare cognoscam, & voluntatem, qua tuae
incommutabili & sempiternae bonitati per arden-
tissimam charitatem semper absque omni medio adhaeream.

Oratio deuota pro imploratione diuinæ
gratiæ & auxiliij. Cap. XXIX.

IN nomine patris & filij, & spiritus sancti, qui
sunt tres personae in vna sempiterna, indiuisa
& simplici deitate. Credo in Deum. O bene-
dicte Deus, ab aeterno tam ego, quam omnes aliae crea-
turae tuae in diuina mente tua idealiter fuimus. Et
quando placuit maiestati tuae, coelum et terram,
& quicquid in eis est, creasti. Et mihi cum omni-
bus angelicis spiritibus atque hominibus simili-
tudinem tuam, atque Trinitatis imaginem impressi-
sti, et in intimo spiritus mei te mihi vniuisti. O bene-
dicte Deus quia es tu, & quia sum ego? O domine Deus
meus, tu es summum bonum, & ego sum abyssalis
vilis. A peccatis enim omnibus, quae non commi-
si, tu me praeseruasti. Idcirco rogo te Deus meus,
fac ut sim homo secundum cor tuum: & da mihi ut
que in fine vitae meae in fide sanctae ecclesiae tuae
perseuerare, pro qua multi amici tui mortui sunt.
Hanc ego fidem profiteor, & in ea per charitatem for-
matam viuere ac mori desidero. **O** Deus meus,
ex imo cordis mei gratias ago tibi, quod hucusque
absque meritis meis ex sola abyssali misericordia
tua mihi perpercisti. Da mihi quoniam Deus meus, ut
reliquum tempus vitae meae taliter expendam, ut hic
& in aeternum tibi semper placere merear. O pie
Deus, ex hoc iam tempore solius intuitu amoris tui
pro toto posse meo, tuo seruitio intendam, & quic-
quid tibi in me displicet, siue magnum sit, siue par-
uum,

DD uum,